3

PROGRAMMA

IO. HADR. SLEVOGTII, D

IN ACADEMIA IENENSI
ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET BOTANICAE
PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII
MED. DVC. SAXONICI PROVINCIALIS
ET CIVITATIS PATRIAE PHYSICI

De

Fatis Chirurgiae

LECTIONIBVS PVBLICIS
PRIVATISQVE PRAEMISSVM.

LITTERIS NISIANIS.



L. S.



ANtequam a Medicis internorum corporis humani morborum ſcientia peculiaris diſciplina conſtitueretur, & hi externas ægritudines ſanandi artem a ſe prorſus dimoverent, *unus erat toto* medicinæ *vultus in orbe*, & quia paucarum tantum herbarum cognitione, ſimplicique remediorum apparatu opus habebant, frequentiusque quam hodie, ſæpe in tardiorem ægrotorum reconvaleſcentiam fieri ſolet, ferro atque igne in debellandis morbis utebantur, omne tempus, quod noſtra ætate aliquot millibus nominum auctior botanica, & per acceſſionem chimiæ diffuſiſſima reddita pharmacorum præparatio ſibi vendicant, Anatomico ſtudio tribuebant. Tantaque cupidine machinæ microcoſmicæ ſtructuram cognoſcendi trahebantur, ut, cum in demortuis corporibus partes cunctas torpidas, ſine motu jacere viderent, nonnulli eorum, inter quos Herophili & Eraſiſtrati fama potiſſimum ad nos pervenit, maleficos homines, morti violentæ deſtinatos, vivos inciderent; quo ſcilicet & quid moveret orga-

na, & quomodo ſingula moverentur, cognoſcerent, & quinam ex actione eorum reſultans uſus eſſet, certiores evaderent. Cum vero jam Hippocratis tempore, ut ex *juramento* ejus liquet, veſicæ calculi exſectio, operationum omnium crudelisſima, non amplius a Medicis, ſed a certis tantum hominibus, ἐργάτῃσιν ἀνδράσι frequentaretur, & poſtmodum Reges ac Principum ſanguine ſati, medicis exercitiis operam dantes, internis potius & venenatis morbis remedia pararent, paucique eorum Dionyſium Tyrannum, aut Joſinam, Scotorum regem, imitarentur, quorum utrumque feliciter affectus externos tractaſſe, illumque alterum poſteris occaſionem præbuiſſe, ut Scotiæ nobiles vulnerum curationi quoque ſtuduerint, B. ROLFINCIUS alicubi teſtatur: præterea & ipſi Medici aut corporis robore non admodum pollentes, aut honoribus atque divitiis abundantes, artus, ex loco motos, ad priſtinas ſedes reducere, oſſibus diſtortis ὀρθότητα, fractis integritatem reſtituere, deinde vulnera conglutinare, ulcera mundare, nunc cruore manus, nunc ſanie collutulare; duros atque nauſeoſos, nec ingenuo ac delicato homine dignos labores judicarent: vendicato ſibi καθ' ἐξοχὴν *Medicorum* nomine, quicquid manuum miniſterium requirebat, ad vilioris ſortis hominum, quos idcirco χειρουργοὺς vocabant, occupationes relegabant. Immemores antiquiſſimos etiam, & inter numina relatos Medicos, Chironem, Æſculapium, Hippocratem, horumque filios, manuum non minus ſtrenua applicatione, quam prudente conſilio, opem mortalibus attuliſſe. Ex quo tempore, & inprimis poſt Galeni obitum, quem & magna diligentia anatomiam excoluiſſe, & chirurgicos etiam labores ſubiiſſe conſtat, fiebat, ut pasſim, inprimis autem apud molliculos Arabes & reliquos Aſiaticos, hinc etiam Europæos Medicos, humana viſcera ſcrutandi ardor ſimul tepeſceret,

ret: donec, irrepente sensim neglectu hujus studii, tandem posteri eorum Anatomen prorsus aversarentur, adeo, ut hodie per totam Asiam, sedem illam Musarum & priscæ Medicinæ celeberrimam, humana corpora secare, piaculum censeatur.

Remanebat itaqua fere penes solos Chirurgos pristina secandi industria. Cum enim plerique eorum, veterum Ægyptiorum instituta, ubi singuli morbi singulos Medicos habebant, sequentes, nec promiscue quarumvis ægritudinum naturam indagarent, nec, more quorundam modernorum sciolorum, curationem omnium sponderent, sed certis tantum affectuum speciebus studium suum addicerent; hinc illius partis, cujus medelam intendebant, naturam accuratissime cognoscere laborabant, & qui e. g. luxationes atque fracturas tractabant, ossium figuram, situm & articulationem exacte discebant; qui vero catarrhactam deponere, aut calculos extrahere cupiebant, oculorum vesicæque necessariam sibi notitiam, ne temere delinquerent, comparabant.

Enimvero sicut animi mortalium suas vicissitudines patiuntur, & artium incrementa atque decrementa a temporum mutatione & moribus hominum admodum pendere solent; ita nec inter Chirurgos idem anatomici studii vigor semper persistebat. Nam diu equidem, quam modo memoravimus, semel receptam, & ad nostram ætatem durantem consuetudinem sancte servabant, ut tota externis morbis medentium cohors a stricte dictis Medicis distingueretur, nec his, sine illorum invidia & contradictione, manuariam artem, si unicam apud Germanos quosdam fœtus extractionem excipimus, exercere liceret. Deinde certæ etiam inter istos sectæ numerabantur, ut, qui tumores, vulnera, ulcera, luxationes & fracturas profitebantur, singulari prærogativa *Chirurgorum* titulum ambirent,

& reliquos, oculorum, dentium, calculorum, herniarumque curam gerentes, *Operatorum* nomine, græcorum ἐργάτῃ, antiquissimo vocabulo, respondente, contentos esse vellent. In eo tamen longissime ab antecesſorum suorum moribus recedebant, quod lucro nimium inhiantes, relicta sedulitate secandi, & neglecta omni theoria, cum cuncta a majoribus in corpore explicata esse crederent, soli empericæ praxi se tradebant.

Cumque Medici etiam epidemico quodam, fervore dicam, an errore, adeo Aristotelis, Galeni, Avicennæ, Rhasisque placitis adhærerent, ut ne latum unguem inde discedendum, & Alex. Massariæ judicio, *errandum potius cum Galeno, quam cum aliis sapiendum esse* statuerent, reliquisque omnibus posthabitis, se & officio & auditorio suo satisfecisse putarent, si commentarios paraphrasibus, distinctionesque divisionibus cumularent: actum pene erat de Anatomia, & per longum annorum decursum inculta, & sine ullo incremento, cum manifesto chirurgiæ, imo universæ artis medicæ damno, jacebat.

Donec superiore seculo Divina bonitas insignia quædam ingenia excitaret, ut congruum malo huic remedium opposituri, αὐτοψίαν ἀναλομικὴν in usum iterum vocarent, & planiore partium humani corporis expositione ineptum autoritatis veterum abusum tollerent, liberamque rectæ rationi judicandi potestatem redderent. Hos inter Andreas Vesalius, ita statuente magno Conringio, Introd. c. 4. p. 158. *quum ingenio pene unico, imo divino natus esset, omnes* equidem *ante se natos superavit, remque anatomicam penitus collapsam, atque nec ab ipso Galeno satis accurate traditam, primus restituit, atque ad invidiam usque excoluit, unde tantam etiam nominis gloriam est adeptus, ut omnibus post sequutis, admirationem sui reliquerit.* haud minore tamen laude digni Fallopii, Hieronymi Fabricii, Paræi,

Se-

Severini, Barbettæ atque alii videntur; qui & anatomiæ fundamenta accurate tradiderunt, & cum hæc disciplina, nisi ad humanæ vitæ usum referatur, speculativæ physicæ pars tantum sit, eam singulari cum industria ad medicinam atque chirurgiam applicarunt. Quæ docendi discendique ratio tanto cum applausu passim recepta est, ut hodie apud cultiores Europæ populos inprimis chirurgia caput adeo extulerit, quantum lenta solet inter viburna cupressus, & non tantum Chirurgi suis tironibus, sed Medicinæ quoque Doctores in Academiis, tam anatomiæ quam chirurgiæ præcepta arti Apollineæ consecratis summa cum utilitate exponant, & h. m. vere Hippocratea tempora reducta videantur.

Quod ipsum cum Serenissimi Saxoniæ Duces, Nutritores hujus Academiæ munificentissimi, Domini mei clementissimi in celeberrima quoque hac divinarum humanarumque artium officina hactenus fieri jusserint, mihique una cum Anatomia etiam Chirurgiam, nec non Botanicam publice privatimque docendam injunxerint, merito pro singulari hac clementia devotissimas atque humillimas gratias ago, Deumque T. O. M. ardentissimis precibus imploro, ut tot seculis durantem potentissimæ Saxonicæ Domus splendorem ad ultimam posteritatem conservare integerrimum, perpetuaque felicitate & gloria incomparabilem reddere velit.

Quamvis autem humeros meos impares oneri sentiam, nostroque seculo arduum sit, præstare aliquid luce Professorii muneris non indignum; fretus tamen cœlesti benedictione, intrepide mandatum munus subeo. Et quia peculiari Divinæ voluntatis nutui & directioni vocationem hanc unice adscribo, de viribus cum animi, tum corporis, officio meo respondentibus, minime despero. Faxit modo summum Numen, ut conatus

mei

mei in sanctissimi nominis sui gloriam, Academiæ salutem & Studiosæ Juventutis utilitatem redundent. Hic enim scopus, hic finis laborum meorum erit.

Vt igitur Vos, nobilissimi Philiatri, cum fructu chirurgicis demonstrationibus, in quibus publice in posterum occupabor, adesse queatis, partium corporis cognitionem illis præmittere, & *hac æstate domi scholas anatomicas* aperire decrevi: in brutis manus vestras exercitaturus, ut, sicubi denuo secandi corporis humani occasio nobis obvenerit, promptiores eas experiamini.

Cumque insuper alma plantarum mater larga manu bona nobis sua in præsenti offerat; non tantum repetitis hebdomatim vicibus, in *Horto Medico* exoticas herbas & mirabiles naturæ lusus considerabimus, sed singulis quoque mensibus floriferos per saltus & ridentia certatim prata vagantes, Creatoris sapientiam in creaturarum varietate & admiranda perfectione venerabundi agnoscemus. Adeste modo frequentes, o charissima capita, & discendi desiderio atque ardore Doctoris vestri studium excitate! quem, ut vestris, filiorum artis, utilitatibus serviat, nunquam non paratum alacremque deprehendetis. P. P. Jenæ, d. IX. Junii, CIↃ IↃC XCV.

